260

Facultatem impertitur absolvendi percussores viol: Clericorum

Alexander &c.

Eidem.

Ut eo gratiosior habearis ab alijs, quo major tibi ab Apostolica Sede fuerit concessa potestas; absolvendi, Clericos, et Laicos (:C:) juxta formam Ecclesiæ, qui in illis Provincijs, in quibus contra Paganos (:D:) tibi prædicationem Crucis commisimus (:E:), pro violenta injectione manuum in canonem inciderunt (:F:) discretioni tuæ concedimus auctoritate præsentium facultatem; dummodo ipsorum excessus adeo gravis non fuerit, et enormis, propter quem prædicta Sedes esset merito consulenda.

Datum Anagniæ VIII Idus Augusti Pontificatus nostri Anno Primo (:G:)

---

(:C:) Absolvendi Clericos et Laicos: Quorum absolutio in hoc casu reservata est Papæ.

(:D:) Contra Paganos: in Superiore Bulla nominatos

(:E:) Commisimus: Ut in cit: præcedenti Bulla. Litvanos Jadzinges.

(:F:) In Canonem Inciderunt: C. Si quis suadente 17 q. 4 ex Innocentio II statuente: Si quis suadente diabolo in Clericum, vel Monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum præsumat eum absolvere.

(:G:) Biennio post renovavit pontifex hanc concessionem per literas. Ut Commissum tibi etc Die 5 Aprilis Sed quo differat, vide notam (c) ad eam epistolam.

Nicolaus Zasicinski